



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

in decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Secvndam Secvndæ, & Tertiam Partem D. Thomæ

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

XLIII. Vtrum meritis Christi potuerit diuinitùs non negari præmium?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94839)

nempè pro omnibus, & singulis instantibus. Necesse autem est physicè id aliquando euenire, quod vsque adeò frequenter est moraliter necessarium, vt dictum est quaestione 5. de Gratia. Ergò necesse physicè fuit Christum aliquando elicere actum inter omnes possibiles optimum. Est verò de ratione huius actus, vt sit meritorius, dum elicitur ab eo, qui absolute est capax merendi. Quo enim merebitur, si non mereatur actus inter omnes possibiles optimos?

Respond. Dictum est quaest. 38. & 39. esse de conceptu operis meritorij contemptum, & tolerantiam liberam incommodi temporalis. Et dictum rursus est potuisse Christum, si libuisset, nullum prorsus pati incommodum temporale. Potuit ergò Christus, si libuisset, nihil prorsus mereri. Nec sine ista nihil merendi potestate potuit habere potestatem aliquid merendi.

Ad 1. Ex contextu illius capitis 16. clarè apparet, esse præterea de ratione actus meritorij laborem, certamen, & victoriam incommodi temporalis. Deinde quævis potentia actiua finita est conclusa intra determinatos limites supremi, & infimi operis; & Christus Dominus specialiter erat ex se necessitatus ad tantam, vt minimum determinatam perfectionem sui actus, quæ ipsum deceret, ideòque esset absolute excellens.

Ad 2. Omne meritum dependens ab vnione hypostatica tribuitur vbique in sacris litteris Christo, nullumque proinde superest, quod seorsim eius animæ tribuatur. Deinde est præternaturale animæ, vt pro primo suæ existentiae instanti operetur nondum vnita corpori, omnino independentè ab ea vnione, nec est dicendum pro libito, aduersante præsertim insinuatione sacrarum scripturarum. Denique si soli animæ fuit eo modo libera circumstantia passibilitatis, ab eadem sola potuit illa reici; atque ita impediri absolute omne meritum, licet non in sensu composito passibilitatis.

Ad 3. Concepto sub initium vitæ proposito efficaci nullum vnquam incommodum patiendi pro nobis, impedita fuisset à Christo per totam vitam pronitas, ac potestas patiendi, ac merendi, retenta necessitate morali ad actus de reliquo summe perfectos.

QVÆSTIO XLIII.

Vtrum meritis Christi potuerit diuinitus negari primum?

Videtur potuisse. 1. Quia non magis debetur præmium meritis Christi, quam debeat ipsi Christo sua conseruatio; siquidem vtrumque debitum fundatur in eadem humanitatis, & actuum eius dignificatione per diuinitatem. Potuit autem negari diuinitus Christo sua conseruatio; tum quia de facto mortuus est, atque adeò interrupta est eius conseruatio; tum quia eadem ratione, qua liberè primò productus est, liberè itidem conseruatur propter finitam, atque adeò contemptibilem respectu Dei bonitatem humanitatis, & vnionis hypostaticæ, non minùs postquam iam sunt productæ, quam ante productionem, & quia Deus non magis indiget conseruatione Christi post primam eius existentiam; quam indigeret prima eiusdem productione; circa quam rationem videri potest quaest. 4.

2. Merita Christi, non secus, ac nostra, sunt

dona Dei, nempè vtrisque æqualiter congruit, quod dicitur à Tridentino sess. 6. cap. 16. sub finem: *Tantum esse Dei erga omnes homines bonitatem, vt eorum velis esse merita, quæ sunt ipsius dona.* Nemo autem ex donis suis contrahit obligationem aliquam, nedum necessitatem omnino insuperabilem aliquid aliud supererogandi independentè à noua specialiter sibi libera voluntate; sed magis donatarius obligatur donanti. Ergò supposito merito tam Christi, quam nostro, est absolute à Deo negabile omne præmium.

3. Est contra perfectionem dominij diuini non posse negare quoduis bonum ex qualibet suppositione distincta à sua illud conferendi voluntate; aut, quod eodem recidit, non posse sciungere voluntatem conferendi rem quamlibet suam à voluntate conferendi rem aliam suam. Siquidem huiusmodi liberi facultas inest creato etiam suarum rerum dominio. Ergò potuit Deus absolute negare Christo præmium concessis meritis.

4. Præcipuum præmium meritorum Christi sunt remissio nostrorum peccatorum, & nostra æterna salus; hæc autem impediri possunt ab humana voluntate. Ergò multò magis à diuina, quæ est potentior.

Artic. 1. Respond. Cum D. Anselmo lib. 2. Cur Deus homo cap. 19. versus finem, D. Bonaventura, Dominico Soto, Gregorio de Valentia, Aluarez, Lorca: Meritis Christi nullo prorsus modo negari potuisse vllum præmium ipsis connaturale, & efficaciter intentum à Christo, non tantum propter intrinsecam eorum connexionem intentionalem cum promissionibus diuinis, quæ meritis quoque puri hominis supernaturalibus communis est; sed etiam ratione specialis suæ perfectionis, & valoris simpliciter infiniti ipsis intrinseci independentè à peculiari explicita promissione diuina.

Artic. 2. Suadetur primò. Quia repugnat metaphysicè toti caterorum hominum collectioni, omnibusque meritis purè creatis, ac demeritis nullum præmium, aut supplicium retribu, vt dictum est cum Chrysostomo, & aliis in quaestionibus de necessitate Dei ad optimum præsertim quaest. 24. de Deo art. 18. Vis autem meritoria, & dignitas cuiusvis operis Christi est incomparabiliter maior, quam quæ inest toti illi cumulo simul sumpto, cum altera sit infinita, & altera finita.

Artic. 3. Deinde operibus Christi meritoriis, attempta eorum perfectione, & dignitate operantis, debetur saltem ex natura rei præmium ab ipso intentum; & nihil debitum ex natura rei potest diuinitus negari, nisi facta compensatione, vt minimum æquali per aliud bonum intrinsecè impossibile cum negato, vt ostenditur quaest. 28. de Deo art. 10. Redemptionis autem vniuersali, gratiæ, & gloriæ debitis Christo ratione meritorum nihil est æquale, & simul intrinsecè impossibile cum iisdem. Multò verò minùs potest aliquid esse æquale frustrationi exigentiæ determinatæ fundatæ in dignitate infinita filij naturalis Dei.

Artic. 4. Denique non minùs dissonat ex apprehensione terminorum, hominem Deum à Deo impelli ad operationes laboriosas, & tolerantiam incommodorum absque fructu, & omnino frustra; quam fieri à Deo miracula in confirmationem erroris, aliæque eiusmodi. Ergò id cenferi debet repugnare, non secus, ac ista.

Ad 1. Probabilius videtur repugnare, vt humanitas semel assumpta à Verbo dimittatur aliquando etiam quoad animam; quia mediante anima assumitur corpus, & vnio ipsius cum corpore, vt dictum est

est quæſt. 21. ideóque mediante anima initur à Deo vera, & propria amicitia cum hoc homine Chriſto, vt conſtat ex quæſt. 24. Eſt autem de ratione amicitia voluntas nunquam illam diſſoluendi, ſi non ſit per alterum potiùs diſſoluentem, aut merentem, vt diſſoluatur, aut diſſolutio non ſit neceſſaria ad maius aliquod, vel ſaltem æquale bonum incompoſſibile ex ſe cum permanentia amicitia. Iam Chriſtus, cum ſit impeccabilis, non poteſt velle diſſolvere amicitiam cum Deo, aut mereri eius diſſolutionem; Nempe apparet aliquod aliud bonum ex ſe incompoſſibile cum conſervatione talis, ac tantæ amicitia, quod, ſeu cuius inchoatio eidem præponderet, aut etiam æquiualeat. Ergò ſuppoſita exiſtentia Chriſti per nullam potentiam negari ipſi poteſt æternitas à parte poſt ſuæ conſervationis nunquam interruptæ ſaltem quoad animam, & eius vnionem cum Verbo; quia vtraliſbet deſtructa diſſolueretur penitus amicitia, quod repugnat; vtraque verò retenta reniteretur formaliter amicitia, licet diſſoluatur ad tempus vnio animæ cum corpore. Neque verò repugnat voluntatem diuinam quoad aliqua duo eſſe eſſentialiter indiuiſibilem. Ideóque dato vno alterum negari nullatenus poſſe propter eſſentialem vnus cum altero connexionem, vel phyſicam, vel intentionalem licet vtrumque coniunctim contemni, ac reſtiti poſſit abſolutè à Deo, cuius rei ſunt multa exempla. Deinde tranſmiſſa corruptibilitate vnionis hypo-

ſtica, aderit mox ratio diſcriminis circa meritum, & præmium.

Ad 2. Meritum eſt donum Dei, & quidem magnum, ob operationem Dei in illos; ſed ſimul eſt obſequium ex parte noſtra ob noſtram liberam cooperationem. Huiusmodi autem donum fundat ius ad aliud vltèrius donum, & in Chriſto fundat illud vi ſimpliciter infinita, ideóque eſſentialiter inſtruſtrabili, eſto quoduis aliud donum Dei, quatenùs eſt purum donum, eſſet abſolutè ſeparabile ab alio quouis vltèriori dono.

Ad 3. Non eſt contra perfectionem dominij diuini, non ipſi domino vtilis, ſed ſolis ſeruis, vt poſſit dare donum eſſentialiter fructiferum, ac fructificans accipienti, ideóque conferibile ſola voluntate indiuiſim volente conferre fructum. Et tale donum eſt meritum ſaltem Chriſti.

Ad 4. Opera Chriſti habent quidem rationem beneficij reſpectu noſtri, ſed rationem meriti habent ſolum apud Deum, à quo debet rependi præmium. Vnde vt ſaluetur vis eorum meritoria omnino inſuperabilis, ſufficit ſi non impediuntur à Deo, tamenſi impediuntur ab hominibus. Deinde quæ efficaciter intendit Chriſtus, ſeu quæ meruit etiam quoad efficaciam, neque ab hominibus impediiri valent in ſenſu compoſito talis intentionis, ac meriti. Denique remiſſionem peccatorum, ac gloriam, & quæ ad illas neceſſaria ſunt, non poſſunt homines impedire niſi peccando, quod in Deum non cadit.

